



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Donatio Paroch. Osterhouen. cum annexiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

poldus Pincerna de Vogelsperch, Hademarus de Chunring, & alij quam plures. Adia-
sunt hæc apud *Ezzeling*, Anno Domini M. CC. XXVIII. primæ Indictionis.
Et ut his plena fides adhibeatur, præsentem paginam munimine sigilli nostri
roboramus.

Donatio Paroch. *Osterhouen*, cum annexiis.

NOS *Berchtoldus* Dei gratia *Babenbergen*. Episcopus, præsentis scripto protesta-
mur. Nos literas venerabilis patris antecessoris nostri felicitis memoriæ *Ekkerti* Episcopi vidisse de verbo ad verbum sub hac forma. *Ekkertus* Dei gratia *Ba-
benbergen* Episcopus vniuersis Christi fidelibus salutem. Quanto deuotio reli-
giosorum virorum studiosius mandatis diuinis intenditur, tanto humani gene-
ris inimicus, ad turbationem eorum suæ fraudis malignitate laborat, & variis
modis eis præstat materiam litigandi, ut sic ipsos retrahat à proposito quod iam
inceperunt. Hinc est quod nos volumus Ecclesiæ in *Osterhouen* quæ ad nos rati-
one juris patronatus, spectare dinoscitur in posterum providere, ne falsitas ve-
ritati possit præjudicare aut iniquitas præualere equitati. Vniuersitati vestræ
volumus constare protestantes; quod dicta Ecclesia cum omnibus filiabus suis,
nostra & antecessorum nostrorum largitione pleno jure ad fratres Deo ibidem
militantes, spectare & pertinere cognoscitur. Ne autem super hujusmodi pro-
testatione aliquomodo possit dubitari, & ut fratribus jus eorum saluum per-
maneat, præsentem paginam sigilli nostri munimine roboramus. Anno ab in-
carnatione Domini M. CC. XVIII.

Protestatio litis de Ecclesia in *Chassen*.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Amen. Nos *Vricus* miseratione diuina
Patauien, Archidiaconus, iudex à sede apostolica delegatus. G. eadem mise-
ratione Decanus apud sanct. *Nicolaum* in *Patau*. Iudex subdelegatus omnibus
hanc paginam inspecturis, salutem in verò salutari. Ad notitiam cupimus per-
uenire tam præsentium quam futurorum, quod cum nos de mandato apostoli-
co ad querimoniam *Pilgrini* Clerici, venerabilem in Christo fratrem nostrum
Heinr. Præpositum in *Osterhouen*, *Patauiam* peremptorie citassemus, & ipse co-
ram nobis die statuto compareret, jam dictus *Pilgrinus* Clericus, petiit à nobis
quatenus Præposito & Conuentui in *Osterhouen*, auctoritate qua fungeremur,
præcipere deberemus, ut ipsum P. Clericum Ecclesiam in *Chassen*, ad quam per-
venerabilem in Christo fratrem nostrum *Popponem Altabensem* Abbatem Epif-
copo *Patauien*. Dyocesano ipsorum canonice sicut dicebat fuerat præsentatus
quiete & pacifice permitterent possidere. Sed cum jam dicti Præpositus & Con-
uentus in *Osterhouen* per priuilegia & confirmationes *Patau*, Episcoporum, nec
non & per præscriptionem legitimam Ecclesiã in *Chassen*, tam in temporalibus
quam in spiritualibus ad se pleno jure pertinere parati essent probare, cum etiã
jam dictus Abbas *Altab* in iudicio coram nobis comparens requisitus à nobis,
vtrum se jam dicto P. Clerico præsentatorem in Ecclesia *Chassen* recognoscere
respondet quod ipse Conuentus in *Osterhouen* præscripserat impedire nollet vel
aliquo modo perturbare. P. Clericus nescimus quo instinctu ductus, vel qua im-
probatione petitorum desicere se credebat, vel quia injustã litẽ à se foueri sciebat,
liti & actioni quam aduersus Conuentum in *Osterhouen* intenterat voluntariẽ
cessit nullis profus precib. vel illektionibus super cessione huius interuenientib.
reddens ei rescriptũ quod super hoc à sede apostolica obtinuerat. Nos igitur ha-
bito super hoc prudentiũ nostrorũ consilio, cum propter recognitionẽ Abbatis

Altabensis,